



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCXXVI. Mundus Sale Sapientiæ, Doctrinæ, ac Sanctitatis
condiendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

MEDITATIO CCCXXVI.
*Mundus Sale Sapientiæ, Doctrinæ,
 ac Sanctitatis condiendus.*

Marc. 9. v. 48.

PUNCTUM I. *Bonum est Sal.* Marc. 9. v. 48. Occa-
 sione Salis naturalis, Victimis aspergendi, Christus
 sermonem transfert ad Salem moraliter acceptum,
 atque Discipulos post contentionem de primatu ad
 talem perfectionem Virtutis, & Cælestis Sapientiæ
 adhortatur, quâ etiam alios perficere & condire pos-
 sint. Considera itaque multiplicem utilitatem Salis,
 præsertim quòd aspersâ acrimoniâ cibos condiat, ac
 lapidos reddat: deinde quòd à putredine servet car-
 nem. Applica mox similitudinem, quòd nempe Apo-
 stoli, & eorum in Vita Christiana sectatores, acrimo-
 niâ sive perfectione Virtutis & Cælestis Sapientiæ, e-
 tiam alios perficere & Cælestia sapere, exemplo suo
 docere debeant, atque à putredine peccati servare
 incorruptos.

PUNCT. II. *Quòd si Sal insulsum fuerit, in quo illud
 condietis? Habete in vobis Sal.* Marc. l. c. Nempe si Vos,
 qui alijs exempla Virtutum præbere debetis, imper-
 fecti ac tepidi, & sine acrimonia Virtutum sitis, quo-
 modo alios in Virtutibus Humilitatis, Charitatis,
 Mansuetudinis &c. perficietis? quomodo persuadebi-
 tis alijs Humilitatem, si primatum ambiatis? quomo-
 do Charitatem, Mansuetudinem, Pacem; si per æmu-
 lationem contenditis &c? Itaque *habete in vobis Sal,*
 scilicet internas Virtutes in gradu perfectò, ut etiam
 exte-

exteriùs earundem exempla Proximis præbere, eòs-
que ad illarum imitationem excitare possitis.

PUNCT. III. *Et Pacem habete inter vos*, Ibid. Non enim sufficit per Virtutes internas rectè quempiam se habere ad seipsum, nisi in communitate degens, per Concordiam & Pacem rectè etiam se habeat ad Fratres & Sodales suos: unde ab omni æmulatione, contentione, dissensione, infestatione abstinendum. Quemadmodum S. Paulus Romanos in Epistola. c. 12. adhortatur: *Charitate Fraternitatis invicem diligentes, honore invicem prævenientes &c. Idipsum invicem sentientes. Nulli malum pro malo reddentes: providentes bona non tantum coram DEO, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus Pacem habentes: non vos ipsos defendentes, Charissimi, sed date locum iræ.*

MEDITATIO CCCXXVII.

Nemo, etsi humilis & abjectus, despiciendus. Matth. 18. v. 10.

PUNCTUM I. *Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.* Postquam Christus parvulos propter Humilitatem suam imitandos, & cum Charitate suscipiendos; nullumque illis scandalum præbendum docuerat, monuit etiam Discipulos, ne ullum talem contemnerent quacunque ratione, sed Salutis illorum curam æquè libenter susciperent, quàm aliorum, qui in hoc mundo magni, nobiles, divites, sapientes, potentes &c. videntur: imò hos illis sive ætate, sive propria de se, ac aliorum de illis æstimatione, parvulis quodammodo postponendos: id quod Christus Patris
su